Fomenta pietatis erga
Franciscum Xaverium S.J.
Leopoli typis Coll. S.J.
1704.

FOMENTA
PIETATIS
ERGA
S. FRACISCUM
XAVERIVM
è Societate IESV
Indiarum atq; Iaponiæ
APOSTOLVM
AC
THAVMATVRGVM.

Patronum admirabilem,
Omnium ad se in suis necessitatibus recurrentium.
ANNO DOMINI 1704.

****

LEOPOLI
Typis Collegij Soc: IESV.

Instructio brevis ad peragēdam decem dierū devotionem ad S. Fr. X.

1. *Eligendæ hebdomadæ decem, ad hanc devotionem decem dierum.*

2. *Facienda intentio, quam gratiam petere vis per intercessionem S. Fr: X.*

3. *Per has decem hebdomadas, feriis 6tis facienda Confessio, & sacra Communio; addito tum strictiori ieiunio.*

4. *Post sacram Communionem ante eius altare, vel Imaginem, dic decies Pater & Ave, & Gloria Patri decies.*

5. *Caue diligenter in honorē huius Sancti, peccata, præsertim in quæ soles prælabi.*

6. *Per hoc tempus devotionis tuæ stude imitari virtutes huius Sancti, quæ fuerunt præcipuæ.* 1. *Castitas* 2. *Amor DEI,* 3 *Amor proximi.* 4. *Oratio fervens* 5. *Zelus animarum.* 6. *Victoria sui.* 7, *Mortificatio in omnibus.* 8. *Iniuriarum patiens toleratio.* 9. *Contemptus sui & aliorū æstimatio* 10. *Deuotio ad Chr: Passum & B. M.*

❧*)*(*❧

OFFICIVM S. FRANCISCI XAVERII.

INVOCATIO.

FRancifce, Mundi Gloria,
Orbifque Lumen alterum:
Ignatio quem proximum,
Gradu fecundo ponimus.
Audi Clientum carmina,
Quæ mente gratâ pangimus:
Et ora te canentium
Aurâ favoris fubleva.
Mens incalefcat fpiritu,
Illo incitata fpiritu,
Quo tu flagrabas unicè
Augere Chrifti gloriam,
Fac, ut medullas pectorum
Cœleftis intret gratia,
Quæ nos fupernis fedibus
Terris folutos afferat.

Sit Trinitati Gloria,
Quæ per suum Xaverium
Vtrumque mundi cardinem
Novo replevit lumine, Amen.

AD MATVTINVM.

Domine labia mea aperies.
Et os meum ánnũtiabit laudẽ tuã.
Deus in adiutorium meum intende
Domine ad adiuvandum me festina.
Gloria Patri & Filio &c:

HYMNVS.

IN flore vitæ Xavier
Spretis honorem fascibus,
Spebusque stirpis Patriæ
Ad cœli amores vertitur.
Sacri calore Spiritus
DEO parata victima,
Ignatianis æstuans
Totus liquescit ignibus.
O vita, IESV, cordium!
Fac ut caduca deserens,
Te, sorte, quam concesseris,
Mea mens requirat unicum!

Anti-

Antiph: Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quã monstravero tibi. *Gen:* 12.

℣. Inveni filium Iesse, virum secundum cor meum.

℟. Qui faciet omnes voluntâtes meas *Actor:* 13.

OREMVS.

DEVS, qui Evangelium Regni tui per barbaras Gentes, & reconditas nationes S. tui Francisci Xaverij prædicatione seminâsti, & eius sanctitatem innumeris hactenus miraculis decorasti; concede quæsumus, ut cuius memoriam agimus etiam virtutes imitemur. Per Dominum, &c:

AD LAVDES.

Deus in adiutoriũ meũ intende &c:

HYMNVS.

EXegit omnem laudibus
Amoribusque Numinis

 Inter

Inter secunda & aspera
Vitæ diem Xaverius,
Seu mane Sol assurgeret;
Seu conderetur æquore;
In ore DEVS insederat,
In corde IESVS vixerat.
Mea, DEVS, o felicitas!
Fac; ut (quod olim gestio
Amare te perenniter)
Dum vivo totus ordiar!

Antiph: Quid mihi est in cœlo & à te, quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea, Deus in æternum. *Psalm:* 72.

℣. Laudabit usq; ad mortem.

℟. Anima mea Dominū *Eccl-* 51.

Oratio ut supra.

AD PRIMAM.

Deus in adiutoriū meū intende, &c

HYMNVS.

Misertus Orbis ultimi
Xaverius caliginem,
Ab Occidentis finibus
Emergit instar Cynthij.

DE-

DEVM ferebat pectore,
Feris docendum gentibus,
Apostolus, deperditæ
Iterum futurus Indiæ.
IESV salus mortalium!
Ita fac amare proximum,
Vt ab hoc amore, Curia
Adaugeatur Cœlitum!

Antiph: Ite Angeli veloces ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diruperunt flumina terram. *Isa:* 18.

℣. Dedi te in lucem gentium.

℟. Vt sis salus mea usq; ad extremum terræ. *Isaiæ* 49.

Oratio ut supra.

AD TERTIAM.

Deus in adjutoriũ meũ intende &c

HYMNVS.

MIraculorum gloriâ
Apostolatus insulis
Et gentium præconijs
Vbique Magnus Xavier.

Suo

Suo tamen ſuffragio
Poſtremus unus omniũ,
Cuiuslibet ſolatijs
Se dedicat Xaverius.
O qui ſuprerba conteris
IESV humilium ſublimitas!
Tuo ex amore deſpici
Fac, ut frequenter expetam!

Antiph: Ante Dominum, qui elegit me, vilior fiam, pluſquam factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & glorioſior apparebo, 2. *Regum* 6.

℣. Omnibus omnia factus ſum.
℞. Vt omnes facerem ſalvos. 1. *Cor:* 9. *Oratio ut ſupra*

AD SEXTAM

Deus in adiutoriũ meũ intende &c:

HYMNVS.

O Virginem Xaverium!
Et ſanguinis caloribus,
Erroribuſq; gentium,
Et ſomnijs ſuperſtitem!

Hinc

Hinc caſtitas poſt funerá
Vetuit malam putredinem
Intacta ſemper lipſana
Xaverij contingere,
O Diva IESV puritas!
O Matre nate Virgine!
Da labe ſine, me conſequi
Quâ ductor Agnus iveris.

Antiph: O quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate; Immortalis eſt enim memoria illius; quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines. *Sap:* 4.

℣. Hi ſequuntur Agnum quocunque ierit.

℟. Sine maculá enim ſunt ante thronum DEI. *Apoc:* 14.

Oratio ut ſupra.

AD NONAM.

Deus in adiutorium meum &c:

HYMNVS.

VAſtæ remotas Indiæ
Plagas obit Xaverius,

Lo-

Lojola sed vel literâ
Si jusseris; revertitur.
Nec sol, ut ut promptissimus,
Vel stare, vel recurrere
Volente iussus Numine,
Talis resorbet orbitam,
Exordientem Nominis
Agnosco IESV literam:
Opto per hanc cum legibus
DEI placita decurrere!

Antiph: Audi Fili mi disciplinam Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, ut addatur gratia cápiti tuo, & torques collo tuo: *Proverb*: 1:

℣. In capite libri scriptum est de me.

℟. Vt facerem voluntatem tuam Deus meus. *Psal*. 39.

Oratio ut supra

AD VESPERAS

Deus in adjutorium meum &c:

HY-

HYMNUS

CEcidere monstra Tartari,
Idola pulsa gentium,
Fide instituti Iapones,
Chinæ reclusa littora.

Vicena quin & funera
Et quinq; vitæ reddita:
Pulsis tot orbe pestibus
FRANCISCE Numen revocat.

IESV laborum præmium,
Mercede maior maximâ
Conando quidquid gessero:
Te, Te in coronâm postulo.

Antiph. Cum ipso sum in tribulatione eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. *Psal:* 90.

℣. Nimis honorati sunt amici tui DEVS.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum. *Psal:* 130.

Oratio ut supra.

AD

℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam à nobis.
Deus in adjutorium meum &c.

HYMNUS.

FRANCISCE iam cælestium
Divis recepte sedibus,
Dignare te colentium
Pijs adesse mentibus.
Omnem per orbem gloriæ
Tuæ eriguntur symbola,
Per te impetratæ gratiæ
Vbique stant insignia.
Eous, & Septentrio,
Meridies, & Occidens,
Et iste, & ille plurimis
Tibi calet clientibus.
O perditorum temporum
Francisce spes amplissima,
Orbis Pater novissimi,
Patrone, lux, Apostole.
Salve! tuoque lumine

Tuos

Tuos serenâ supplices:
Fac mundus omnis ardeat
Divini amoris Numine,
Fides ut una gentium:
Fines inundet omnium:
Vt una pax cœlestium
Cor iungat & terrestrium.

Antiph. Hic est fratrum amator, & populi Israel, qui multum orat pro populo, & vniversa sancta Civitate *Mach. 2. cap: 5.*

℣. Ora pro nobis S. Fr: Xav:
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

Oratio ut supra.

LITANIÆ
AD
S. FRANCISCVM XAVERIVM,
Q*VAS*

Illustrissimus Dominus, D. F. Gaspa-

rus de Vilaroel, Episc: S. Iacobi Chilensis, & Regiæ Hispaniarum Majestatis á Consilijs in honorem Sancti, (quod eius patrocinio inter ruinas ex terræ motu iam sepultus, salvus evaserit) gratitudinis ergo cõcinnauit ipse, & statis ex voto diebus recitavit; ac deinde in publicum aliorum bonum typis evulgavit.

KYrie eleyson. Chryste eleison. Kyrie eleison.
Christe audi nos, Christe exaudi nos
Pater de cœlis Deus, Miserere nob:
Fili Redemptor mundi Deus, Mis:
Spiritus Sancte Deus, Miserere:
Sancta Trinitas unus Deus, Mis:
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta DEI Genitrix, Ora pro n:
Sancta Virgo Virginum, Ora.
Sancte Pater Ignati, Ora.
Sancte Francisce Xaveri, dignissime, & dilectissime Fili S. Patris Ignatij, Ora.

S. Fran-

S. Franc: Xaveri Indiarũ Apoſtole, Ora pro nobis.

S: Franc: Xaveri Evangelizans pã-cem, Ora pro nobis:

Vas electionis portans nomen IE-SV coram gentibus. Ora.

Vás redundans Divinæ Charitatis, Ora pro nobis.

Firmamentũ Orientis Eccleſiæ, Orã.

Propugnator Fidei, Ora.

Impugnator infidelitatis, Ora.

Prædicator Evangelicæ veritatis, O.

Idolorum Deſtructor, Ora.

Electum à Patre æterno inſtru-mentum propagandæ Divinæ gloriæ, Ora.

Fidelis imitator, & Socie IESV Chriſti Filij DEI, Ora.

Tuba reſonans S, Spiritus. Orá.

Columna Templi DEI, Ora.

Lux Paganorum, Ora.

Magiſter Credentium, Ora.

Speculum veræ pietatis, Ora.

Dux in via virtutum, & Christianæ perfectionis, Ora.
Exemplar Apostolici Spiritus, & sanctitatis, Ora.
Lumen cæcorum, Ora.
Pes claudorum, Ora.
Auris surdorum, Ora.
Auxiliator naufragantium, Ora.
Salus ægrotantium, Ora.
Fugator dæmonum, Ora.
Suscitator mortuorum, Ora.
Cuius potestati obediunt mare, & tempestates, Ora.
Cuius imperia venerantur universa elementa: Ora.
Prodigiorum Thaumaturge, Ora.
Refugium miserorum, Ora.
Gaudium afflictorum, Ora.
Orientis splendor, Ora.
Pignus resurrectionis ad vitam gratiæ, & gloriæ. Ora.
Tabernaculum incorruptionis, Ora.
Ærarium Divini Amoris, Ora.

Glo-

Gloria Societatis IESV. Ora.
Legate Apostolice Romanæ Sedis.
Pauperrime Xaveri, Ora.
Castissime Xaveri, Ora.
Obedientissime Xaveri, Ora.
Humillime Xaveri, Ora.
Crucis Christi, ac laborum pro Christo cupidissime Xaveri, Ora.
In salutem proximi vigilantissime Xaveri. Ora.
Suavissime Xaveri, Ora,
Gloriosissime Xaveri, Ora.
Animarum & Divini honoris zelator ardentissime. Ora.
Angele moribus, & vitâ, Ora
Patriarcha affectu, & studio curandi populum DEI, Ora.
Propheta dono, & Spiritu, Ora.
Apostole dignitate, & merito, Ora
Doctor gentium potens in multifario sermone, & opere, Ora.
Confessor virtute, & vitæ professione, Ora.

Virgo animo & corpore, Ora.
In quo, uno Sanctorũ omnium merita ex Divinâ benignitate veneramur, Ora pro nobis.
Agnus DEI, qui tollis peccata mũdi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison.
Kyrie eleison.

Pater noster &c.

℣. Ora pro nobis S. Franc: Xav:
℟. Vt digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMVS.

DEus, qui glorificantes te glorificas, & in Sanctorum tuorũ honoribus honoraris: concede propitius; ut, qui B. Francisci Xaverij Confessoris tui gloriosa merita

coli-

colimus, eius pia patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum &c:

LITANIÆ BREVIORES.
DE S. FRANCISCO XAVERIO.
Ex solis Summorum Pontificum Oraculis.

KYrie eleison, Christe eleison &c
Christe audi nos Christe &c:
S. Francisce Xaveri, Ora pro nobis.
Apostolicæ S. Romanæ Sedis Nũtie, ora pro nobis: (*Paulus III, A.* 1540.
S. Xaveri multis & eximijs virtutum, gratiarum, & miraculorũ donis à Domino illustrate, Ora pro nobis. *Paulus V. A.* 1619.
S. Xaveri Vir Cœlitibus magis similis, quam mortalibus, Ora.
Christiani Imperij propugnator, Ora pro nobis.
Qui nihil minus à magnis fecisti Apostolis, Ora.
Qui plures submisisti Ecclesiæ, quam

suo

suo Romani, Græciq; subdiderint imperio, Ora.

Cuius ingenti animo angustus orbis terrarum fuit. Ora pro nobis.

(*Gregorius XV. A:* 1622.

Gloriâ sanctitatis, & meritorũ splẽdore præcipue emicans, Ora.

Novarum gentium Apostolus unanimi totius Christiani orbis consensu merito appellate, Ora.

Qui pro animarum salute innumeros, maximosque labores, atque ærumnas perpessus, ingentia terra, mariq; pericula subivisti, Ora.

Quem Deus adeò magnificavit, ut nomen tuum honorabile sit apud omnes gentes, Ora.

Vere Sancte & electe DEI. Ora.

(*Vrbanus VIII. A.* 1623.

Mortuorum suscitatione, & Prophetiæ gratiâ toto orbe conspicue, Ora pro nobis.

Gravissimus pro Fide Catholica labo-

boribus consummate, Intercede pro nobis. (*Alexan. VII A, 1663 in Martyrol: Rom.*

Agnus Dei, qui tollis peccata &c:

ORATIO AFFECTVOSA *Ad S. FRANCISCVM XAVERIVM*

In quacunque corporis aut animæ afflictione.

SAnctissime Pater FRANCISCE XAVERI, qui ex ore infantium & lactentium perficis laudes tuas; humillime obsecro humanissimam charitatem tuam, per sanguinem IESV pretiosissimum, & per Immaculatam Conceptionem Sanctissimæ Dominæ nostræ MARIÆ, ut mihi ab infinita DEI bonitate, (si me in hac mea afflictione diutius permanere expedit,) impetres; ut eam ex manu DEI susceptam, patientissime perferam in honorem Patientis

Chri-

Christi, sin me summa DEI bonitas eâ liberum velit: Protector mi prodigiosissime, excita potentiam tuam, & veni; ut me ab afflictione hac mea liberes, in manu forti, & in brachio tuo excelso: ut nulli humano auxilio, sed tuis apud IESVM, & MARIAM intercessionibus mihi impetratam debeam eiusdem liberationem. Ecce Pater mi humanissime, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus, à te non est absconditus, Amen.

Oratio S. Francisci Xaverij pro persecutoribus. Tursel: vitæ l. 5. c. 6.

DOmine IESV Christe Deus cordis mei, per acerbissimos mortis tuæ cruciatus obtestor te, ut intuearis tuas ipse cicatrices & vulnera, quæ Patri tuo assidue pro nobis exhibes, eaque salubria esse velis omnibus persecutoribus nostris ut resipiscant.

SVSPI-

SVSPIRIA SINCERI AMORIS.
Rythmo Hispanico à S. Xaverio compoſita.

NEc gaudiorum æternitas
Promiſſa diligenti,
Nec inferorum æternitas
Parata negligenti,
Nec illa me, nec iſta me
Amare te coëgit;
Te! qui cruenti ſtipitis
Sublatus in theatrum
Exemplar es pulcherrimi
Et artifer Amoris.
Ah! conſpicor trabalibus
Manus, pedeſque clavis
Fixumque pectus militis
(Sed plus amoris) haſta!
Heu flagra, ſpinas, vulnera,
Heu probra, ſputa, ſannas,
Tandemque contemptiſſimam
Pro me nocente mortem!
Hæc una me dulciſſimi
Sinceritas Amoris;

Hæc

Hæc ò Amator optime!
Amare te coëgit.
Si nulla nobis præmia
Promitteres, amarem:
Si nulla nobis tartara
Prædiceres, Amarem
Gratisque Te, semperque Te
Amo DEVS, & amabo:
Vt tu prior, gratisque me
Amaveras, Amabo
Tantumq; Te, quod OPTIMVS,
DEVSQVE sis, Amabo.

Aspirationes S. Francisci Xaveij interdiu familiares.

JESV Christe Fili Dei vivi, da hoc nobis, ut te super omnia diligamus.

Da nobis Domine sanctissimæ voluntatis tuæ perfecte semper agnoscendæ, & adimplendæ gratiam.

Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.

Quis

Quis mihi det, ut ego moriār pro te, & cognoſcant te omnes fines terræ!

Ampliùs Domine *cruciari* ampliùs!

DEVS cordis mei & pars mea DEVS in æternūm.

Satis eſt Domine, *Te ſi habeam*, ſatis eſt.

Aſpirationes eiuſdem inter dormiendū Turſel: l: 6, c. 5. & Rel: pro Canon: p. 19.

Mi IESV! dulcis IESV!

O IESV bone! o Creator mi!

Suſpiria S. Franciſci Xau: morientis.

IESV Fili David miſerere mei! Tu peccatorum meorum miſerere!

Mater DEI memento mei!

IESVS! MARIA.

IESV, DEVS cordis mei!

Lib: 5. cap: 11.

AFFECTVS
AMANTIS ANIMÆ
S. FRANCISCI XAVERII,

C O DE-

O DEVS! ego amo Te,
Nec amo Te, ut ſalves me;
Aut quia non amantes Te,
Æterno punis igne.
Tu, tu, mi IESV, totum me
Amplexus es in Cruce;
Tuliſti Clavos, Lanceam,
Multamque Ignominiam,
Innumeros Dolores,
Sudores, & angores,
Ac mortem: & hæc propter me,
Ac pro me peccatore
Cur igitur non amem te?
O IESV amantiſſime!
Non, ut in cœlo ſalves me,
Aut ne in æternum damnes me,
Nec præmij ullius ſpe,
Sed ſicut tu amâſti me,
Sic amo & amabo Te.
Solum quia Rex meus es;
Et ſolum quia DEVS es. Amen.

Hanc Orationem quicunque dixerit ante Imaginem S. Franciſci Xaverij

verij, toties Indulgentiam 200 dierum lucrabitur.

Forma eligendi S. Franciſcum Xaverium in Patronum.

SAncte, & glorioſe Indiarum Apoſtole, Franciſce Xaveri, ego N.N. tuâ, quâ in omnes te invocantes benignus es, pietate invitatus; te hodie in Patronum, & Advocatum eligo, corpus meum, & animam meam, omnem ſpem meam, & cõſolationem meam, omnes anguſtias & miſerias meas, vitam, & finem vitæ meæ, in ſinum tuæ charitatis commendo. Obſecro te igitur, ſuſcipe me in clientem perpetuum, adſis mihi in omnibus actionibus meis, ut eæ ad omne beneplacitum DEI dirigantur. Amen.

Formula, quâ ſe pia quædam anima S. Xaverio devovit.

OMnipotens sempiterne DEVS, qui B. Franciscum Xaverium, gratiâ sanitatum universo orbi celebrem effecisti: Ego N. N. licet Divino tuo cōspectu indignissimus, fretus tamen eiusdem S. Francisci Xaverij intercessione, coram Divina tua Majestate prostratus, voveo, me (quoad vita & sanitas indulserit) tertiam diem Decembris, quæ eidem S. Francisco Xaverio sacra est, quotannis confessione, & Sanctissimæ Eucharistiæ sumptione celebraturũ. Accipe misericordissime DEVS indignissimi servi tui humile votum, & præsta, ut, quod meis meritis non valeo, id S. tui Francisci Xaverij patrocinio, & pia intercessione assequar. Per Christũ Dominum nostrum, Amen.

Ave Lignum Crucis; ave Crux pretiosissima: me totum tibi dedico in perpetuum.

Inten-

Intentio mane actionibus præmittenda.

SVſcipe Sancte Pater omnipotens æterne Deus, ad laudem & gloriam Sacratiſſimi Nominis tui (*& hic exprime tuam propriam intentionem ad quã huius diei opera offerre vis*) omnia, quæ ego indignus famulus tuus, hodie ſum cogitaturus, dicturus, facturus, & paſſurus. Hæc ego Tibi Deo meo, vivo & vero, omnia & ſingula, ſive ea parva ſint, ſive magna, in unione meritorum, vitæ, paſſionis, & mortis Vnigeniti Filij tui Domini Noſtri IESV Chriſti, nec non Sacratiſſimæ eius Genitricis Virginis MARIÆ, & omnium Sanctorum, offero: quorum precibus & meritis concede, ut hoc holocauſtum in conſpectum Divinæ Majeſtatis tuæ, cum odore ſvavitatis aſcendat. Per eundem Chriſtũ Dominum noſtrum, Amen.

Actus

Actus eliciendi ante Confeßionem.

DOmine IESV Christe, animarū nostrarum amator ardentissime, qui præ nimiâ charitate tua, non vis mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat, accedo ad hanc Sacram Confessionem, & doleo ex intimo corde meo, quod Te Deum meum, atque benignissimum Redemptorem meum offenderim; qui me adeò dilexisti, ut pro me servo vilissimo sanguinem tuum pretiosum fundere, & mortem acerbissimam subire dignatus sis. O Bonitas infinita Deus meus, utinam te nunquam offendissem! quia infinite bonus es, & super omnia desiderabilia amabilis. Ignosce itaque Bone IESV misericordiam petenti: Miserere peccatoris, pro quo apud Patrem tuum, vox sanguinis tui interpellat. Ignosce mihi, vt & ego ex amore tui, omnibus qui me unquam

quam

quam offenderunt, ignoſco; firmiterque ſtatuo, univerſa deinceps peccata fugere, & ea quæ contrà immenſam bonitatem tuam commiſi in amaritudine cordis mei, nūc integrè confiteri volo, ac Te DEVM meū propter temetipſum ſuper omnia ſemper amare.

En ego ad Te venio mi IESV vulneratus, ſana me, venio cæcus, illumina me, venio mortuus, vivifica me, venio leproſus, munda me. Vtique maior eſt miſericordia tua, quàm iniquitas mea; tu potes plùs remittere, quàm ego peccare; noli ergo reſpicere multitudinem peccatorum meorum, ſed multitudinem miſerationum tuarum reſpice, reſpice amariſſimam paſſionem tuam, pretioſiſſimum ſanguinem, ſacratiſſima vulnera, crudeliſſimam mortem tuam, & miſerere mei.

In poſterum abſit, abſit à me, mi

IESV

IESV ut ampliùs offendam Te. Detestor omnia peccata, & quidquid tu odisti, id omne detestor, & omnia integre confiteri volo; præstatq; millies me mori, quàm te Deum meum summum Bonum unquam offendere.

Actus post Confessionem eliciendi.

MI IESV! en jam eluisti sanguine tuo sordes scelerum meorũ, debita mea æterno Patri pro me persolvisti infinitæ Passionis tuæ precio, recepisti me indignum, brachijs pro me extensis, animam meã super carbones denigratam Tibi desponsasti. Agnosco amores Tuos, misericordiam tuã infinitã veneror. Et in signum pro tanto beneficio animi grati, offero Tibi corpus, animam, & omnes vires meas, meque totum. Offero tibi & omne id quod mihi dedisti, id est Teipsum, mihi enim natus es, mihi in Cruce

mor-

mortuus. Et dum Tu à me Te ipsũ recipis, plus jam exigere non potes, quia Tu es Deus meus & omnia. Mihi pro Te, da obsecro o! IESV felicem mortem, ut æternas Tibi gratias persolvam, Amen.

Actus eliciendi ante sacram Communionem.

CRedo mi IESV Te in hoc Sacramēto quod susceptutus sum, esse verum Deum & hominem; & in hac, & pro hac fide, mori me esse paratum profiteor, atque cum hac fide Te suscipio. Spero mi IESV me aliquando Te visurum in gloria Tua; & cum hac spe suscipio Te.

Amo Te mi IESV super omnia, quia summa Bonitas es; & in hoc, & ex hoc amore suscipio Te.

O Domine non sum quidem dignus, sed quia hæc est bonitas & dignatio Tua, veni, veni, desidero Te millies, desidero infinities, veni

ni & imple desiderium meũ. Nunc tempus est Domine ornare me meritis, gratijs, virtutibus Tuis, & omnium Electorum Tuorum; quia ego pauper sum, vilis, & abiectus nimis, ut compaream ante conspectum Divinæ Majestatis Tuæ, & suscipiam Te.

Respice ergo me mi IESV oculis misericordiæ Tuæ, stringe me brachijs Charititatis Tuæ admirabilis, lava me pretioso sanguine, in via salutis robora me Carne Tua, Cibo fortiũ, ut sine defatigatione cõscendam montem gloriæ Tuæ, & curram in via salutis.

Et Te supplex rogo o! Mater misericordiæ, orna me virtutibus & meritis tuis, ut in præsenti Communione dignus sim suscipere Filiũ tuum. O Máter Sanctissima depone ex ulnis Tuis Virgineis Filium tuum, in sinum cordis mei, sicut illũ

in

in duro præſepio reclinâſti, ſimulq; concede mihi illos affectus, quibus ſolebas eum amplecti, ſtringere, & exoſculari. Quod dum habuero.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Veni Domine & noli tardare. Veni Dulcedo mea, veni requies mea, ſolatium meum, Salus mea, DEVS meus & omnia.

Actus eliciendi in ipſa Communione.

SAluto Te & adoro, & ad pedes tuos procumbo, deſideratiſſime hoſpes in corde meo. Amplector Te mi IESV affectu Beatiſſimæ Matris, & omnium Electorum tuorum. O! Corpus IESV ſumptum à me, immuta animam meam & corpus meum, transforma me, Chriſtifica & Deifica me.

Gratias Tibi ago mi dulciſſime IESV, quòd me Carne & Sanguine Tuo, Cibo fortiũ, & Pane Angelo-

gelo-

gelorum, refeceris, & satiaveris. Et in vim tanti amoris, offero Tibi intellectum, voluntatem, memoriã, corpus & animam meam, meq; cõtum, ita, ut jam non sim meus, sed totus Tuus, & Tu meus in æternũ: dicamque vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.

Anima Christi sanctifica me,
Corpus Christi salva me,
Sanguis Christi inebria me,
Aqua Lateris Christi lava me,
Passio Christi conforta me;
O Bone IESV! exaudi me,
Intra vulnera Tua abscende me.
Ab hoste maligno defende me;
In hora mortis meæ voca me.
Et jube me venire ad Te,
Ut cum Sanctis Tuis laudem Te,
In sæcula sæculorum. Amen.

Ad Majorem DEI Gloriam.